



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

IX. De Jure consecrandi Virgin.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61543)

tio. Ad eundem modum etiam Zonaras *ibid.* Alii quidem, quo in numero Episcopi, presbyteri, diaconi & hypodiaconi sunt, ordinantur; nonnulli, ut Lectores, Cantores ac hujusmodi alii, quod ipsum non sine manuum impositione contingit, solo charactere signantur, *οἱ δὲ σφραγίζονται μόνον, καὶ τὰ τοῦ δεῦρος χειροθεσίας ἐστίν, alii demum, ut Oeconomi, Defensores, Paramonarii, promoventur, περιβάλλοντες.* Fatentur ergo & majores & minores ordines per *χειροθεσίας* conferri, sed ita ut *χειροθεσία* ista in majoribus *χειροτονίας* efficiat, in minoribus *σφραγίδα* tantum conferat. Quid verò *χειροτονίας* nomine intellectum velint, dubium relinquunt Lectorem.

CAP. IX.

De jure consecrandi virgines.

I.

Virginitatis & continentie laus eximia semper fuit apud plerasque gentes moratior, nisi quod Romanorum Imperator Augustus, cum Legem Papiam Poppæam sanciret, maritis præmia, cœlibibus verò pœnas constituendo, parum propitium se erga cœlibatum gesserit. Nec tamen improbari poterit hoc ejus factum, si justitiam causæ moventis consideraverimus. Invenerat enim, recensito equitum Romanorum numero, superiorem esse numerum illorum, qui cœlibes essent, quam eorum, qui haberent Uxores; & erat tamen Urbs propter bella civilia, civibus suis penè exhausta, ut adeò necesse esset damnum istud quocunque modo reparari, & tum præmiis, tum pœnis propositis auctiorem civitatem reddere. Cœlibatui verò, quam indixerat pœnam, non protinus ad continentiam applicari voluit. Quæ enim perpetuam virginitatem servassent, non immunes tantum erant à pœnis cœlibum, sed eisdem eadem, quæ matribus præmia largitus est, ut refert Dio *hist. Rom. lib. 56.* Sed de aliarum gentium & gentilium institutis nobis nunc non licet esse sollicitis. Potius agamus id, cuius gratiâ laborem hunc suscepimus.

II. Apud Christianos itidem à primis fundatæ Ecclesie initiis semper magno in precio fuit virginitas & continentia. Scribit Athenagoras *apolog. pro Christian.* *Ἐυραὶ δ' ἂν πολλὰς τῶν παρ' ἡμῶν, καὶ ἀνδρας καὶ γυναῖκας, καταγγελάσκοντας ἀγαπᾶς, ἐλπίδι τῶν μάλλον σωθῆναι τῷ Θεῷ.* Et Justinus *Martyr. apolog. 2. pro Christian.* *Πολλοὶ πνεις καὶ γυναῖκες, ἐξήκοντα καὶ ἑβδομηκονταίτη, οὐκ ἐκ παιδῶν ἐμαθητύησαν τῷ Χριστῷ, ἀφ' ὧρα διαμένουσι.* Mintutius Felix in Octavio: *Pleriq; inviolati corporis virginitate perpetuâ fruuntur potius*

potius, quam gloriantur. Conjuges ipsi mutuo consensu continentiam sibi quandoque promittebant, & ab invicem abstinerebant. Quot sunt, inquit Tertullianus lib. 1. ad Uxor. c. 6. qui consensu pari inter se matrimonii debitum tollunt? voluntarii spadones pro cupiditate regni cœlestis &c. Et hoc plerumque fiebat post unam alteramve susceptam sobolem, uti id colligere licet ex Apollinaris Sidonii lib. 9. epist. 6.

III. Sciendum tamen, primis illis temporibus ἐπάγγελμα sive ἀμολογία & promissionem sive sponsionem sanctimonialium tantæ religionis non fuisse, ut contrahere postea matrimonium nullo modo liceret. In Concilio Ancyrano can. 19. statutum fuit, ut qui virginitatem profitentes, professionem suam irritam reddiderint, bigamorum definitionem impleant, h. e. bigamorum pœnæ subjiciantur, Ad quem canonem Theodorus Balsamon rectè notat, voti virginitatis infirmationem h. l. non esse fornicationem, sed legitimum matrimonium. Malè autem, dum ait porro, per virgines hic intelligi Viros & fœminas, non qui mundo renuciavere & vitam monasticam elegere, sed alios quosdam cum Laico habitu ad DEUM accedentes & virginitatem profitentes. Rationem addit hanc, quia, qui vitam monasticam elegerunt, suam DEO professionem irritam facientes, & se matrimonio jungentes digamorum pœnis non subjicientur, sed divulso & separato matrimonio, ut quod non possit consistere, valde punientur, & monasterio, in quo tonsi sunt, tradentur. Sed enim malè agit interpretes, qui ex sui seculi moribus disciplinam veteris temporis judicat, nec aliud obtinuisse olim, contra expressam veterum monumentorum literam asseverat.

IV. In Concilio Chalcedonenli can. 16. eodem modo statutum fuit, Virginem, quæ se DEO domino dedicavit, similiter & monachos non licere matrimonio conjungi. Si verò hoc fecisse inventi fuerint, excommunicentur. Statuimus verò auctoritatem habere loci Episcopum iis humanitatem largiri. Hic iterum ad distinctionem suam supra traditam confugit Balsamon & canonem interpretatur de mulieribus cum Laicali habitu ad DEUM accedentibus & virginitatem profesis. Asimilari autem eas dicit monachis propter tonsuram, & quod earum pacta conventa seu vota fiant in Ecclesiâ. At verò nullam talem distinctionem eruere quisquam poterit ex textu. Ipse verborum positus satis ostendit, per virgines DEO dicatas non alias intelligi debere, quam moniales sive nonnas, atque illis perinde ut monachis conjugium interdici, ut tamen, si contra prohibitionem matrimonium inierint, illud haudquaquam sit nullum, sed contrahentes ad arbitrium Episcopi puniantur. Nec tamen negare velim, fuisse aliquando à monialibus distinctas quasdam virgines Ecclesiasticas, quarum meminit Sozomenus lib. 8. cap. 23. Eas tamen professas castitatem fuisse, & solenni se voto adstrinxisse, non ausim asserere. Cæterum quod de tonsurâ virginum ad-

jicit

jicit Balsamon, meminisse debuisset, virgines sacras olim intonfas fuisse, uti patet ex Concilii Gangrensis *canone 17.* sed quem ipse rursus de tonsurâ monasticâ intellectum non vult. Nobis tamen rectior videtur interpretatio, quæ in Concilio Vernensi II. *can. 7.* facta est.

V. Sed & Concilium Valentinum I. *can. 2.* quo de monialibus ad nuptias transeuntibus agit, non irritat matrimonium ab illis contractum, sed pœnas tantum decernit: *De puellis verò, quæ se DEO voverunt, si ad terrenas nuptias sponse transferint, id custodiendum esse decrevimus, ut pœnitentia his nec statim detur; & cum data fuerit, nisi plenè satisfecerint DEO, in quantum ratio poposcerit, earundem communio differatur.* Imò verò antequam decreta ista conciliorum hæcenus memorata edita fuerunt, Cyprianus insignis Ecclesiæ Doctor prudenter admodum iudicavit, licitum esse virginibus DEO dicatis nubere, si aliter se continere non possent. *Quod si ex fide se Christo dicaverint, pudicè & castè sine ullâ fabulâ perseverent: ita fortes & stabiles præmium virginitatis expectent: Si autem perseverare nolunt, vel non possunt, melius est nubant, quàm in ignem delictis suis cadant.* *epist. 62.* Ad eundem modum etiam Epiphanius, *heres. 61.* consultius facere iudicat, si matrimonio implicentur, qui votum servare nequeunt. *Melius est, inquit, lapsum à cursu, palam sibi sumere uxorem secundum legem, & post virginitatem multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad Ecclesiam induci, velut, qui mala operatus est, velut lapsus & fractus & obligatione opus habentem, & non quotidie occultè jaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur &c.* Nec prætereunda hîc est Novella Majoriani Imp. 8. quæ, etsi speciatim agat de iis virginibus, quæ à parentibus invitæ religioni monasticæ addictæ fuerunt, talibus tamen referta est sententiis, quibus libera nubendi castitatem professis datur potestas. Inter alia hæc ejus sunt verba: *Neque enim sacrilega iudicanda est, quæ se hoc ante noluisse, aut certè non posse complere adpetiti conjugii honestate prodiderit, cùm Christianæ religionis instituta atque doctrina melius esse censuerit virgines nubere, quàm impatientiæ ardore naturali professe pudicitie non servare virtutem.*

VI. Cæterum virgines ejusmodi jam à multis seculis imposito sacro velamine consecrari mos fuit. De isto sacro velamine Hieronymus *epist. 8. ad Demetriadem:* Scio ad imprecationem Pontificis flamen virginale sanctum operire caput. Sed & Ambrosius *libr. ad virginem lapsam* pluribus agit de sacro ritu servari solito, cum virgini DEO dicandæ sacrum velamen imponitur. Erat verò velamen hoc à communi illo, quo non apud Christianos tantum, sed Gentiles etiam, Romanos, Græcos & Barbaros, mulieres tectæ incedebant, valdè distinctum, neque est, ut de illo multa hîc verba faciamus. Videri potest Cardinalis Baronius *in martyrolog. ad d. 7. Maji.* Quia autem apud Gratianum de velandis mulieribus non una nec unius

Cccc

modi

modi fit mentio, inde diversa planè & sex potissimum sacra Monialium velamina conficit Augustinus Barbosa *lib. 1. de jur. Eccles. c. 44. n. 14. seqq.* Primum dicit esse probationis, idq; dari ait novitiis ante probationem, non ante tamen annum ætatis duodecimum completum, idq; albi esse coloris. Secundum dicit esse professionis, nigrum quidem hodiè, olim verò etiam purpureum, idq; non dari, nisi anno ætatis decimo sexto completo. Tertium velum ait esse consecrationis, idq; dari debere vigesimo quinto ætatis anno. Quartum, ordinationis, quod tamen idem esse dicit cum quinto, quod prælationis vocat. & Abbatisis dari solet. Sextum autem dicit esse continentia & observationis, viduis dari solitum. Verùm ita dum distinguit Barbosa, confunderemagis videtur, quod nec ipse circa quartam & quintam speciem diffiteri omnino potest.

VII. Ipsum verò velandi jus diversimodè exercitum fuisse, antiqui Conciliorum Canones docent. Ad Episcopos illud pertinuisse dubium non est, uti plerique alii actus Ecclesiastici cum solennitate aliqua perficiendi Episcopis cesserunt. Si tamen à presbytero aliqua velata fuisset virgo, actus ipse non fuit invalidus, neque ab Episcopo consecratio aliqua nova superaddita fuit. Sanè in Concilio Cæsar-Augustano c. 8. lectum fuit, *non velandas esse virgines, quæ se DEO voverint, nisi quadraginta annorum probatâ ætate, quam Sacerdos comprobaverit.* Et hoc placuit universis illic ex Hispaniâ & Aquitaniâ collectis Episcopis. Sacerdotis autem nomen commune fuit presbyteris & Episcopis, ut adeò consecratio æquè à presbytero atque ab Episcopo fieri potuerit. Sed & in Concilio Carthaginensi *ll. can. 3. qui sextus est in Codice canonum Ecclesie Africane*, proposita fuit quæstio, sicubi puellarum consecratio à presbytero facta fuerit, quid de eo esset statuendum? Nec tamen quæstio deciditur, aut definitur, quid statui debeat, sed simpliciter asseruerunt universi Episcopi, puellarum consecrationem à presbyteris fieri non debere, tacitè innuendo, actum talem à presbytero celebratum esse tantum contra Legem Ecclesiasticam, non esse ipso jure nullum aut invalidum. Verba ita habent: *Fortunatus Episcopus dixit: In præteritis conciliis statutum meminimus esse, ut chrismæ vel reconciliatio penitentium, nec non & puellarum consecratio à presbyteris non fiant, si quis autem emerferint hoc faciens, quid de eo statuendum sit? Aurelius Episcopus dixit: Audivimus dignatio vestra suggestionem fratris & cœpiscopi nostri Fortunati, quid ad hæc dicitis? Ab universis Episcopis dictum est, chrismæ consecratio & puellarum consecratio à presbyteris non fiat, vel reconciliare quenquam in publicâ missâ presbytero non licere; hoc omnibus placet.* Nil aliud respondent patres congregati, quam quod jam ante constitutum proposuerat Fortunatus, quodque ad quæstionem decidendam nihil adhuc faciebat. Et hinc adeò sequitur, presbyteris ita interdictam puellarum consecrationem fuisse, ut tamen,

men, si quis tale quid ausus fuisset, actus ipse non sit omnino nullus. Est enim talis lex prohibitiva, uti capite antecedente dixi, hætenus imperfecta, quatenus fieri quid vetat, sed factum non rescindit. Sed & Concilium Rothomagensis, cujus canonem nonum refert. Ivo Carnotensis *part. 7. decret. cap. 52.* puniri quidem vult presbyterum, qui velaverit virgines, nec actum tamen istum pronunciat invalidum.

VIII. Et ut eo minus dubitetur, etiam presbyteris aliquo casu in Africâ competiisse potestatem consecrandi & velandi virgines, statutum legitur in Concilio Carthaginiensi III. c. 36. ut presbyter *inconsulto Episcopo virgines non consecret, chrisma verò nunquam conficiat.* Quod inconsulto Episcopo facere prohibitum est, id licitum esse censetur, si Episcopus consenserit; adeoque non denegatur simpliciter presbyteris potestas velandi virgines, sed sub conditione istâ, ne id facerent incio & contradicente Episcopo. Et oppidò noletur, diversum omninò placuisse patribus Carthaginiensibus circa chrismatis consecrationem, quippe quam simpliciter & absolute interdicit presbyteris, virginum autem consecrationem non æquè. Quod si prohibitio ista jure divino niteretur, nihil omninò interesset, consulto an inconsulto Episcopo presbyter virgines consecraret, nisi probaretur, sub eadem limitatione juris divini prohibitionem conceptam fuisse. Et hinc est ergò, ut statuamus, non omninò nihil agere presbyterum, dum consecrat virgines.

IX. Circa ætatem velandarum virginum quæ prostant Constitutiones, itidem merè sunt Ecclesiasticæ; idque vel exinde patet, quod varia earum sit definitio, & prævectiorem aliæ, aliæ viridiorem circumscribant ætatem. Ex Concilio Cæsar-Augustani decretis supra audivimus, non velandas esse virgines, nisi quadraginta annorum probatâ ætate. Ita & in Concilio Agathensi c. 19. statutum fuit: *Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati sint, ante annum ætatis sue quadragesimum non velentur.* Sed in Concilio Carthaginiensi III, c. 4. ad annum vigesimum quintum ætatis consecratio ista reducta est: *Placuit, ut ante annos viginti quinque, ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.* Quem ita allegat Gratianus c. *placuit dist. 77. & c. placuit 20. q. 1.* Sed in vetustis quibusdam codicibus, quorum meminit Severinus Binius ad hoc Concilium, nihil habetur de virginibus velandis. Constat tamen ex alio canone Carthaginiensi, qui in codice canonum Ecclesiæ Africanæ est centesimus vigesimus sextus, placuisse patribus annum ætatis vigesimum quintum, & ut eo habilis esset virgo ad accipiendam consecrationem: *Item placuit, ut quicumque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitie virginalis, cum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur: vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum cu-*

ram pertinet, velaverit virginem seu velavit intra viginti quinque annos ætatis, non ei obsit concilium, quod de isto annorum numero constitutum est. Refertur hic canon inter canones Concilii Milevitani sub numero 26. Et recenset Ivo Carnotensis part. 7. c. 39. ex decretis Pii Papæ, virgines non debere velari ante 25. annos ætatis, nisi fortè necessitate periclitantis virginalis pudicitia.

X. Quantacunque verò ex historiâ Ecclesiasticâ & veterum scriptis allegari queat ritus hujus & consecrationis virginum antiquitas, abrogatam tamen eam, neque amplius in usu esse, docet Paulus Piafeci prax. Episc. part. 1. cap. 2. n. 4. imò verò tollendam eam esse, si alicubi adhuc vigeat, respondisse refert Congregationem Regularium Patriarchæ Veneto 5. Decembr. anno 1595. Quod demiror equidem contigisse, & sublatum fuisse morem tam vetustum, & quidem ab Ecclesiâ, quæ consuetudines antiquas ubique magnâ cum jactantiâ crepat, & tam proterve quandoque, ut eas ex instituto divino aut Apostolico proficisci asseveret. Et illi tamen, qui tam antiquam ceremoniam ex arbitratu suo aboleri posse censuerunt, valdè indignari multisq; injuriis proscindere solent Ecclesias alias, quibus noviores quasdam ceremonias nudius tertius excogitatas & superadditas, propter emergens inde aliquod incommodum tollere collibuit.

XI. Viduarum sanctimonialium, quod consecrationem concernit, non fuit eadem, quæ virginum conditio, sive quod virginitas majori semper in pretio haberetur, sive quod dubia crederetur continentia, servanda ab illis, qui blanditiarum conjugalium & copulæ carnalis delicias expertæ jam essent. Idcirco noluerunt Patres antiqui viduas eodem modo, quo virgines, velari. Quorum cum varia extent eâ dere decreta, pleraque ea in syllogem quandam contrahere operæ erit pretium. Antiquissimum, quod occurrit, statutum extat inter decreta Concilii Arausici I. quod habitum fuit anno post Christum natum CCCXXI, ut adeò dubitem, utrum ante seculum quintum professioni viduitatis solennitas aliqua Ecclesiastica accesserit. Canon ipse, qui in ordine est vigesimus septimus, in antiquis Codicibus diversâ lectione prostat. In Conciliis Gallia tom. 1. hæc ejus sunt verba: *Viduitatis servandæ professionem, coram Episcopo in secretario habitam, imposita ab Episcopo veste viduali indicandam.* Apud Gratianum autem c. *viduitatis* 27. q. 1. ita legitur: *Imposita coram Episcopo veste viduali dicimus non esse violandam.* Et notant, qui à Gregorio XIII. correctores destinati fuerunt, pro verbis, *coram Episcopo* in omnibus editionibus conciliorum & codicibus manuscriptis legi: *à presbytero.* Differentia in eo est, quod non constet, utrum ab Episcopo ipso, an verò coram Episcopo à presbytero vel etiam à viduâ sibi ipsi imposita fuerit vestis vidualis. Sed observat Jacobus Sirmondus, vetustissimos & optimos quosque Codices, Lug-

dunen-

duensem, Remensem, Fossatensem, Tilianum & alios legere: ab Episcopo, paucos recentiores, à presbytero, quod inde ortum putat, quia viduas velare postea licuerit etiam presbyteris. Quicquid hujus sit, illud præcipuè ex hoc canone colligere licet, viduas eo tempore non ut virgines fuisse consecratas, nec velum aut vestem vidualem accepisse in publico aut præsentepopulo, sed in sacramento.

XII. Eodem seculo anno Domini CCCCXCIV. scripsit Gelafius Papa ad Episcopos Lucaniæ de diversis disciplinæ Ecclesiasticæ capitibus. Inter alia: *Viduas autem velare pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat, nec canonum forma præstituit. Non est ergo penitus usurpandum, eisq; sic Ecclesiastica sunt ferenda præsidia, ut nihil committatur illicitum. Et porro: Nam de viduis sub nullâ benedictione velandis superius latè sufficienterq; prædiximus. Quæ si propriâ voluntate professam pristini conjugii castitatem mutabili mente calcaverint, periculi earum intererit, quali DEUM debeant satisfactione placare, quia juxta Apostolum primam fidem irritam fecerunt. Sicut enim si se forsitan continere non poterant, secundum Apostolum nullatenus nubere vetabantur: sic habitâ secum deliberatione, promissam DEO pudicitia fidem debent custodire. Nos autem talibus nullum laqueum debemus: injicere, sed solum adhortationes præmii sempiterni, pœnasq; proponere divini judicii, ut & nostra sit absoluta conscientia, & illarum pro se rationem DEO reddat intentio &c.* Hæc igitur prima videtur prohibitio Ecclesiastica, quâ Episcopis viduas velare interdictum fuit, ideo scilicet quod in illis majori periculo exposita sit castitas, dum adhuc sanguis & pristinae conjunctionis maritalis memoria fervet, atque carnalis concupiscentiæ ignis difficulter extinguitur. Nec tamen, si professæ continentiam fuerint, neque votum servaverint aliqua viduæ, pœnas decernere audeat Gelafius, quod excusatius peccare videantur, qui à carnis illecebris, quas expertæ jam sunt, superantur, & novis libidinis excitulantur furis.

XIII. Sub initium seculi VI. celebratum fuit Concilium Epaonense in Aquitaniâ vel Galliâ Narbonensi, cujus canone 21. statutum fuit: *Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus, solam eis pœnitentiæ benedictionem, si converti ambiunt, imponendo.* Sed hic canon eas viduas concernit, quæ diaconissæ dictæ aliquando fuerunt, non etiam cæteras, quæ cum diaconissæ non essent, viduitatis tamen professionem faciebant. Alibi dixi, receptum aliquando fuisse, ut etiam diaconissæ, non minùs, atque diaconi masculi ad officium suum ordinarentur, idque probavi ex Concilii Arausici I. canone 26. itemque ex Concilii Aurelianensis II. canone 18. Id verò in istis Conciliis ut & Epaonensi hoc, prohibitum fuit, solâ eis pœnitentiæ benedictione concessâ, præter eam, quæ universo populo impenditur. Pœnitentiæ autem benedictio, ut hoc

obiter addam, manuum impositione peragebatur, & hæc specialiter viduæ pœnitenti impertiebatur.

XIV. Observo tamen, canonem hunc Epaonensem in Concilio Turonensi II. c. 21. in genere de quavis viduâ castitatem professâ acceptum fuisse. Verba, quæ huc faciunt, hæc sunt: *Nam quæ se veste mutaverit, absq; dolo in eo proposito, quod disposuit, perseverare procuret. Illud verò, quod aliqui dicunt, vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cum omnes sciant, quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis, quia solum propositum illi sufficere debet, sicut in Epaonensibus canonibus à Papâ Avito vel omnibus Episcopis conscriptum est: Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni religione nostrâ penitus abnegamus &c.* Videtur sensim irrepsisse opinio, viduas, nisi consecrentur, ut maximè secundum Concilium Arausicanum Episcopo professionem in sacrario fecerint, & vidualibus vestibus indutæ fuerint, mutare hanc animi intentionem & ad conjugium redire posse, & hinc fortè receptum aliquando fuit, ut ipsæ quoque viduæ perinde ut virgines consecrarentur. Id verò prohibuit Epaonense non tantum, sed etiam, quod anno DLXVII. habitum fuit Turonense concilium secundum, additâ hâc ratione, quod sufficiat propositum semel firmatum & professione atque habitu viduali declaratum.

XV. Et hæc in Galliis ita constituta fuerunt. In Hispaniâ verò sola habitus delatio sufficiens videtur fuisse argumentum continentæ perpetuò servandæ. In concilio enim Toletano IV. anno Christi DCXXXIII. can. 56. differentia fuit constituta inter Viduas seculares & sanctimoniales, ita ut utrasque habitus discerneret. *Duo sunt genera viduarum, seculares & sanctimoniales. Seculares viduæ sunt, quæ adhuc disponentes nubere Laicalem habitum non deposuerunt. Sanctimoniales sunt, quæ jam mutato habitu seculari sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis vel Ecclesiæ apparuerint &c.* Sed anno DCLVI, cum observatum fuisset, plurimas viduas à proposito hoc suo discessisse, & habitum religiosum abjecisse, in Concilio Toletano X. can. 4. fortiore vinculo constringendas eas esse duxerunt Patres Hispani, & addiderunt proinde solennitates aliquas, quibus velut auctoratæ nullâ deinceps ratione liberare se à comprobato isto vitæ genere possent. *Videmus ad tanta fraudum studia convalescentem excrevisse perniciem, ut & primæva patrum constitutio à quibusdam æstimetur illudi & nova judicum putetur intentio falli. Nam inveniuntur nonnullæ viduæ, diversis excusationibus se ad eò contegentes, ut blandiantur sibi, non se patrum plena religionis alligatas institutione teneri. Unde antiquis inconcussè permanentibus regulis, hoc adjiciatur novæ oraculo sanctionis, ut vidua, quæ sanctæ religionis obtinere propositum voluerit, sacerdoti vel ministro, ad quem aut ipsa venerit, aut quem ad se venire contigerit, scriptis professionem faciat, à se aut signo aut subscriptione notatam, continentem se & religionis*

propositum velle & hoc perenniter inviolatè servare. Tunc acceptâ à sacerdote vel ministro aptâ religionis hujus veste, seu lectulo quiescens, sive quocumq; in loco consistens, incunctanter utatur. -- -- Ut autem deinceps nil devocetur in dubium, pallio purpureo vel nigri coloris caput contegat ab initio susceptæ religionis, ut dum illic tulerit signum probabilis sanctitatis, ubi nullius falli poterit visio intuentis, nunquam ausus attentet detestande presumptionis. Obiter noto, secundum canonem hunc professionem continentix fieri debere sacerdoti vel ministro, h. e. presbytero vel diacono, & ab horum alterutro etiam dari vestem professioni tali congruam, cum in Concilio Arausicano supra memorato jubeatur fieri professio coram Episcopo. In hoc autem Concilio Toletano etiam mentio fit veli, quò caput contegere oportebat, ut non dubitem ad imitationem veli virginalis receptum illud tum temporis fuisse.

XVI. Hinc adeò, cum de consecrandis non possent, de velandis viduis, ortæ sunt disquisitiones. Et propterea prohibitum in Concilio Turonensi III, c. 27. ut juvenes viduæ citò nequaquam velentur, usq; dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio. Et hujus quidem velaminis à viduis continentiam professis usurpari soliti multa fit mentio seculo nono, idque sacrum & sanctum dicitur, ita ut ex solâ assumptione talis velaminis crederetur perpetuæ continentix ream se fecisse. Apud Gratianum c. 6. dist. 27. Nicolaus Papa ad Albinum Viennensis Ecclesiæ Archiepiscopum rescribit: Quod interrogasti de fœminâ, quæ post obitum mariti sui sacrum velamen super caput suum imposuit, & finxit se sub eodem velamine sanctimoniale esse, postea vero ad nuptias rediit, bonum mihi videtur, ut pœnitentiam agat de illusionè nefandâ &c. Ejusdem fragmentum Epistolæ ad Carolum Archiepiscopum de tali viduarum velamine vid. apud eundem Gratianum c. vidua 27. q. 1. quod ipsum legitur etiam in Concilii Wormatiensis canone 21. tom. 3. Concil. fol. 847.

XVII. Cæterum ex decretis Conciliorum Gallicorum observare licet, non obtinuisse perpetuò eandem in velandis viduis consuetudinem. Imò verò ex Concilio Rothomagensi refert Ivo Carnotensis part. 7. decreti c. 52. canonem, qui viduas velari prorsus vetat, ita ut nec presbyteris quidem velamentum tale eis imponere liceat: Statutum est, viduas non debere velari. Simul & hoc statutum est, ut si quisquam presbyterorum deinceps hujus constitutionis normæ contumaciter transgressor extiterit, scilicet, ut aliquas viduas velare presumat, quia hoc & Episcopis non licet, gradus sui periculum incurrat. Habitum fuit Concilium istud, ut vulgò creditur, anno Domini DCXXCII. Sed in Concilio Parisiensi VI. can. 40. & 43. non tantum velamentum sacrum viduis conceditur, sed etiam ut eis id à presbyteris imponatur, permittitur, dum tamen id non fiat inconsulto Episcopo. Canon quadragesimus hic est: Comperimus, quod quidam presbyterorum incautè &

extra-

extraordinariè velum viduarum inconsultis Episcopis suis, consecrarent, & ob id eidem religionis macula ingerebatur, quia eisdem velatis per diversa vagandi occasio præbeatur. Ut autem nullus Pontificum viduas velare attentet, canonica auctoritas inbibet. Quod verò presbyteri, inconsultis Episcopis suis, velum viduarum consecrare non præsumant, prorsus interdicimus. Quod si quisquam presbyterorum hujus constitutionis contumaciter transgressor extiterit, canonica correctionis pœnas luet. Et in can. 43. reprehenduntur Abbatissæ & cæteræ sanctimoniales, quod viduas atque puellas velare præsumant. In eo dicitur: Ita ergò idem illicitum & temerarium factum habetur in usu, ut vix aut vidue velari à presbyteris, aut puellæ virgines consecrari expetant à pontificibus. Nulli quippe dubium est, quia hoc factum ex toto à divinâ abhorreat auctoritate, & ad negligentiam quorundam pertineat sacerdotum &c.

XVIII. Imò verò ex Concilio Aurelianensi recenset Gratianus c. viduas 27. q. 1. canonem, quo viduis permittitur, ut ipsæmet sibi velamen, si ita libuerit, imponant, & ut hoc factò sanctimonialium vitæ genus elegisse præsumantur. Viduas, inquit, quæ spontaneâ voluntate ab altari conversionis sacræ velamen suscipiunt, decrevit sancta synodus in eodem proposito permanere. Non enim fas esse decernimus, postquam se domino semel sub velo consecraverint, iterum eis concedi Spiritui Sancto mentiri. Iste canon sine dubio de velo consecrato accipiendus est, quia scil. ab altari susceptum dicitur. Et vela ejusmodi consecrari solita fuisse, ex canonibus Concilii Parisiensis modo adductis patet. Sed etsi velum nondum consecratum susceptum à viduâ fuerit, & illa inter velatas in Ecclesiâ comparuerit, statuit Concilium Triburiense c. 25. sanctimonialem eam esse & manere debere: Quod si sponte velamen quamvis non consecratum sibi imposuerit & in Ecclesiâ inter velatas oblationem DEO obtulerit, velit nolit, sanctimoniam habitum ulterius habere debet: licet Sacramento confirmare velit, eo tenore & ratione velamen sibi imponere, ut iterum possit deponere. Extat apud Gratianum c. viduas 27. q. 1. sub inscriptione: Ex concilio Martini Papæ.

XIX. Oppidò autem notetur, de viduis quæ diximus hætenus, ita constituta esse, ut præsupponatur liberrima voluntatis electio, cum ad tale vitæ genus nemo facile cogi debeat. Atque idcirco in canone 10. Concilii Tolerani III. legitur, statuisse sanctum Concilium, ut de viduis, quibus placuerit tenere castitatem, nulla vidua ad nuptias iterandas venire cogatur. Quod si priusquam profiteantur continentiam, nubere elegerint, illis nubant, quos propria voluntate voluerint habere maritos. In capitularibus tamen lib. 5. cap. 113. sancitur, ut etiam illa mulier, quæ invita velum accepit, istud nunquam dimittat. Verba hæc sunt: Qualicumq; modo mulier, permittente canonicè viro suo, aut eo defuncto velum sanctum in caput acceperit, aut sponte, aut invita, in eo permaneat omninò, nec dimittat. Quid est ergò quod dicitur hic, resillire mulie-

mulierem non posse, quæ invita velata est? Optimè verba ista explicat Stephanus Baluzius *ad Agobardi apolog. c. 9.* de eâ muliere, quæ adulterii perpetrati convicta est, atque ob hoc ipsum in monasterium concludi iussa, volente marito. Statuerat enim Justinianus Imp. *novell. 134. c. 10.* mulierem adulteram in monasterium detrudi debere. Detrusam, si recipere maritus velit, ut intra biennium id facere sine fraude liceat: Sin minus, ut tondeatur mulier, monasterioq; in perpetuum mancipetur.

XX. Ex dictis autem patet, habuisse etiam viduas suum aliquem vendendi ritum, sic tamen à virginali distinctum, ut cum virginibus nec reciperentur nec remanerent. Quanquam, uti ex decretis Concilii Parisiensis audivimus, corruptela talis invaluerit aliquando, ut Abbatissæ & Sanctimoniales etiam viduas velarent, ita ut penè in omnibus monasteriis puellaribus huiusmodi velatæ invenirentur. Duo hinc nascuntur gradus Sanctimonialium, Virgines scil. & Viduæ; his Leo I. *epist. 87. quæ est ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cesareensem constitutos*, adjecit, tertium intermedium, earum scil. quæ cum continentiam vovissent, à militibus per vim stupratæ fuerunt. *De his, inquit, quæ in sacro virginitatis proposito constitutæ barbaricam pertulere violentiam, & integritatem pudoris non animo sed corpore perdidere, ea nobis servanda videtur moderatio, ut neque in viduarum dejiciantur gradum, nec in sacrarum & perseverantium virginum numero censeantur &c.* Addi posset gradus quartus & infimus earum scil. quæ cum vitam meretriciam antea egissent, poenitentiam ductæ ad sanctiorem conversationem se conferunt, & monasteria ingrediuntur. De quibus videri potest Claudius Espenceus *de vot. continent. l. 4. c. 13.*

XXI. Obiter addo, Sanctimoniales ejusmodi tum viduas, tum virgines, nonnas dictas fuisse & adhuc dici. Idque vocabulum Ægyptiacæ originis esse putant nonnulli. Pro viduis conjugium fugientibus usurpat Hieronymus *epist. ad Eustochium: Et quia maritorum expertæ dominatæ, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & nonne.* Et capitul. *lib. 5. c. 2.* Similiter *& nonne velatæ eadem poenitentiam contineantur.* Utitur eo vocabulo etiam Xiphilinus in *Domitiano*, eoque denotat virgines, quas à reliquo mulierum coetu distinguit his verbis: *Πολλάκις ἡ τῶν ἀγῶνῶν νύκτωρ ἐποίησεν, ἡ ἔστιν ὅτι ἡ νόνηας ἡ γυναικῶν σωέσαδε.* Sæpè noctu exhibebat certamina, in eâq; nonnas & mulieres introducebat. Aliquando etiam dicuntur nunnantes, vocabulo ferè Germanico per translationem, cum propriè significet suam sceminam castratam. Joh. Lydius in *Glossar.* Est tamen etiam reverentiæ nomen. Sic enim etiam monachorum præpositi nonni aliquando dicuntur. Synodus Aquisgranensis: *Ut qui præponuntur, Nonni vocentur, hoc est, paterna reverentiâ.* Idque desumptum videtur ex regulâ Benedicti *cap. 63.* Juniores priores suos *Nomos* vocent, quod intelligitur paterna reveren-

tia. Ita ut Nonnus alius non sit quam dominus, & viduæ ita dicantur apud Hieronymum, quasi sui dominæ factæ.

XXII. Putat autem Cardinalis Baronius in *martyrologio ad d. 5. Augusti*, appellativum hoc nomen transivisse in proprium, cum ita dicta fuerit mater Gregorii Nazianzeni, idque etiam apud Latinos factum, dum S. Augustini mater eodem ferè nomine appellata fuerit, licet pro monacha Monica dicta sit; id verò idem esse quod Nonna. Sicque, ait, *duæ amplissimum Ecclesie Doctorum matres eodem dictæ nomine habentur.* Sed vana admodum hæc est collectio, & nominum comparatio. Non enim ideò, quod ita dicatur aliqua mulier, ad ipsam quoque rem illicò concludere licet. Et oppidò falluntur illi, qui Monicam Augustini matrem monialem esse volunt, quos falsè perstringit Claudius Espencæus *d. l.*

CAP. X.

De Potestate Clavium.

I.

Christus in his terris Regnum suum extructurus tantam dedit potestatem discipulis suis, quantam ei sufficientem iudicavit, & ut ostenderet nobis, quid commodi humano generi afferret ministerium verbi & Sacramentorum à se institutum, geminam adhibuit similitudinem, unam clavium, alteram ligandi & solvendi, sed quæ utraque eandem potestatem exprimit. Sic enim ait *Matth. XVI, 19.* ad Petrum & Apostolos reliquos: *Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum in cælis, & quodcumq; solveris super terram, erit solutum in cælis.* De clavibus dum loquitur, cælum domicilium esse statuit, in quod nullus hominibus pateat ingressus, nisi fores referentur. At enim nobis omnibus, qui ab Adamo primo parente descendimus, clausum est cælum, sicut Adamo ipsi Paradisus, propter innumera, quæ hæreditaria habemus, & quotidie ipsi committimus, peccata. Quandoquidem non intrabit in illud inquinatum aliquid, aut abominationem faciens & mendacium. *Apoc. XXI, 27.* Postquam autem DEUS pater filium suum misisset, in mundum, & filius hic vicissim Apostolos suos eodem modo misisset, in Pater ipsum, ad prædicandum scilicet verbum divinum eum in finem, ut iis qui resipiscerent & crederent, peccata remitterentur, non autem remitterentur illis, qui increduli persisterent, & gratiam omnem respuerent, tum auctoritatem concessit quasi aperlendi cælum fidelibus, claudendi vero impiis & contumacibus. Atque hoc claudendi aperiendique munus, quia clavium operâ in ædibus exerceri solet, & œconomus clavem habere

dici-